
et ymnos deo canendos. quia te decet ymnus deus in Sion. Ita-
les cives etiam in medio Babilonis in medio nationis perverse habentes, set per
amplius et perfecte reddere votum in Ierusalem illa que sursum est libera penitus ab omni
confusione babilonica que est mater nostra. Hoc ovis est illa de puerorum perfectio ut ymnum
cantare possint in terra aliena. unde et dicitur: quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?
Set in Ierusalem redditur votum ab omnibus ierosolimitanis civibus quando caro humana que
nunc terra est aliena corruptibilis scilicet sua corruptione aggravans ani-
mam quantumlibet spiritualibus ac celestibus intentam fuerit in electis omnino in-
corruptibilis et inpassibilis. Hec vero et si vento roris flante viri spirituales
afflati et refrigerati cantant ymnum domini in terra aliena, tamen et illi crebro
suspendunt organa in salicibus in medio Babilonis. et quasi fragiles adhuc
in lucta carnis inferiores omnino conticescunt ab ymnorum cantico exulta-
tionis. ac super flumina Babilonis residentes dulce sunt flere suisque
pascuntur lacrimis manducando simul panem doloris. Convertentes que in Ierusalem
superna proficiscentes. illique memoriam in principio letitie sue ponentes
vota laudis et gratiarum actionis vovent. que tandem in Ierusalem persolvent et
e scda babilonia reddent. Set quoniam antequam perveniatur in illam Ierusalem dum proficiscimur nunc incipimus et
in convertendo captivitatem Sion quasi laxata captivitate restincto per
martirum sanguinem babilonico igne alteram Babiloniam id est Romam videmus et
gaudemus in civitatem Sion commutatam. te decet ymnus deus in Sion id est in
ecclesia catholica Petri apostoli fide firmata et per apostolos virosque apostolicos eru-
dita quasi per Ieremiam et Aggeum. Petrus quippe apostolus qui respiciente
se domino flevit amare tamquam in lamentationibus Ieremie peregri-
nos cives Ierusalem docet seminare in lacrimis quod post metatur in exul-
tatione. cui sociatur Paulus apostolus vel alter Aggeus qui interpretatur solempnis vel
sublimis. quoniam raptus usque ad tercium celum solempnitate et sublimitate est magnitu-
dine revelationum glorificatus et tamquam vas electionis vere digne est glori-
ficandus. Ut quia Ieremias multimoda passione attritus et tandem marti-
rio coronatus est per illum significari potest martirum candidatus exercitus. per Aggeum
vero in convertendo captivitatem Sion factum sicut consolatum notare pos-
sumus cetum confessorum in pace quiescentium et auxilia regum ad edificandas
ecclesias habentium. Sicut enim Cyro laxante captivitatem per Aggeum ceter-
osque illius temporis prophetas reedificata est Ierusalem. sic imperatore con-
stantino dante pacem sancte dei ecclesie quasi destructo iam regno babilonico

4) Cod. Paris B. N. lat. 4236 fol. 4v